

terra, pro uitiorum tribulis incipiant segetem germinare uirtutum. & dicti fratres per cooperationem uestram suscepti ministerij cursum feliciter consumando, obtatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem uidelicet animarum. Quia uero sepe uitia sub specie uirtutum occulte subintrant, & angelus sathane in angelum lucis se plerumque simulate transformat, presentium uobis auctoritate mandamus. quatinus si qui de predictorum fratrum ordini se dicentes in uestris partibus predicauerint, ad questum se pecuniarium conuertendo, per quod religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, uos tamquam falsarios capiat. & condemnetis eosdem. Datum Lateran. VIII kal. Aprilis Pontificatus nostrj Anno Primo.

Blybullan bortfallen.

311. 1244 d. 26 Mars. Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånds-Bref för Styresmannen och Bröderne af Predikare-Orden, att få, utanför Städer eller byar, förrätta Gudstjensten vid ett flyttbart altare.

A. 1: a. 16.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs . . Magistro et fratribus ordinis predicatorum, Salutem & apostolicam benedictionem. Postulastis a nobis. ut cum extra Ciuitates & villas frequenti existatis nec uobis expediat per huiusmodi loca discurrere pro diuinis officijs audiendis celebrandi uobis ubi conuentus de ordine uestro fuerit super altare portatile licentiam preberemus. Nos autem id uestris postulationibus inclinati concedimus. sine iuris preiudicio alieni. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Laterani VII Kal. Aprilis. Pontificatus nostrj Anno Primo.

Blybullan vidhänger i röda och gula silkestrådar.

312. 1244 d. 20 Apr. Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Förbud för Generalis Minister och Bröderne af Minoriter-Orden, att, såsom någon gång skett, bland sig upptaga Munkar af Predikare-Orden, med mindre än att Prioren för desse dertill lof gifvit.

A. 1. d. 27.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei, Dilectis filijs . . . Generali Ministro et fratribus ordinis fratrum Minorum Salutem, et apostolicam benedictionem. Quo uos in christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius ut

in cunctis prouidi sitis et uigiles affectamus, turbationis non modice spiritum assumentes, si de uobis quandoque contrarium ad nos relatu perueniat aliquorum. Sane ammirantes accepimus, quod uos non absque offensa rectitudinis que in uestris debet actibus haberi continue specialis, fratres Predicatores & eorum ordini obligatos, frequenter ad uestrum recipitis, unitatem spiritus in pacis uinculo non seruantes. Verum cum ex hoc scissure possit et scandali exoriri materia, que solatium pacis eterne querentibus debet omnimodis existere peregrina. Vniuersitati uestre per apostolica scripta in uirtute obedientie precipiendo mandamus, quatinus tam fratres eosdem, quam eorum ordini uoto uel iuramento etiam obligatos, nullatenus decetero pre-textu indulgentie alicuius, seu aliquarum litterarum obtentarum a sede apostolica uel etiam obtinendarum imposterum, que de presentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prius Prioris sui petita fuerit et obtenta licentia recipere presumatis. Alioquin decernentes irritum & inane, quicquid per uos in hac parte contra preceptum nostrum contigerit attemptari, presentium auctoritate statuimus, ut huiusmodi presumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolui ualeant, nisi se apud sedem apostolicam personaliter representent, ab ea sicut iustum fuerit absoluendi, Nulli ergo &c. nostre constitutionis &c. Datum Laterani XII, kal. Maij, Pontificatus nostrj Anno Primo.

Blybullan hänger i röda och gula silkestrådar.

313.

1244 d. 24 Jun.

Civita Castellana.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s förbud för Styresmannen och Bröderna af Predikare-Orden, att med sig förena munkar af Minoriter-Orden, utan dertill lemnadt tillstånd af dessas Förman.

A. 1. d. 28.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei Dilectis filijs. . Magistro et fratribus de ordine fratrum Predicatorum. Salutem, et apostolicam benedictionem. Meminimus uobis olim in uirtute obedientie per nostras litteras precipisse ut fratres minores et eorum ordini uoto uel iuramento etiam obligatos nullatenus decetero pre-textu indulgentie alicuius seu aliquarum litterarum obtentarum a sede apostolica uel etiam obtinendarum in posterum que de illis expressam non facerent mentionem, presumeretis recipere nisi prius ministri sui petita foret licentia et obtenta. Decreuimus etiam irritum et inane, quicquid per uos in hac parte contra preceptum nostrum contigerit attemptari. statuentes ut huiusmodi presumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolui possent, nisi se apud sedem apostolicam ab ea sicut uisum foret absoluendi personaliter presenta-